

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 3: De correctione Domini (14)

Gregorius:

A quibusdam dici solet: Non iudicat deus bis in idipsum;
qui tamen non attendunt quod alias scriptum est:
Iesus populum de terra liberans Egipti,
secundo eos qui non crediderunt perdidit.
Quamvis enim si una culpa bis percutitur,
una tamen percussio intelligitur, que hic incepta illic perficitur,
ut in hiis qui omnino non corriguntur,
precedentium percussio flagellorum sequentium sit initium tormentorum.
Hinc est quod in psalmo scriptum est:
Operiantur sicut dyploide confusione sua.
Dyploidis enim duplex vestimentum est,
quo figuraliter induuntur qui et temporali pena et eterna dampnantur.
Unde Ieremias: Contritio super contritionem,
id est gemina dampnatio, et hic et in futuro.

A quibusdam dici solet: *Non iudicat Deus bis in idipsum;*
qui tamen non attendunt illud quod alias scriptum est:
Iesus populum de terra Aegypti liberans,
secundo eos qui non crediderunt perdidit.
Quamvis enim si una culpa bis non percutitur,
una tamen percussio intellegitur, quae hic coepta illuc perficitur,
ut in his qui omnino non corriguntur,
praecedentium percussio flagellorum sequentium sit initium tormentorum.
– Hinc est quod in psalmo scribitur:
Operiantur sicut dyploide confusione sua.
Dyploidis enim duplex uestimentum est
quo figuraliter induuntur qui et temporali poena et aeterna damnantur.
*Vnde et Hieremias: *Contritio super contritionem,**
id est gemina damnatio, et hic, et in futuro saeculo.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.2.8-9 (CCSL 111, P. Cazier ed., pp.198-9, ll.40-52).